



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

Sectio Prima. De Horis Canonicis in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40244**

# COMMENTARIA IN RVBRICAS BREVIARII ROMANI.

## SECTIO PRIM A.

### De Horis Canonicis in genere.



D pleniorē de Horis Canonicis tractationem, prænortanda putauimus ea breuissimè, quæ Theologi, Canonistæ, & Summistæ de Horis iisdem docuere, hoc est, de Nomine, Origine, Numero, Obligatione, Defectibus, & Pœnis ad Officium diuinum pertinentibus.

#### SECTIONIS PRIMÆ CAPITA SEX.

- |  |                                    |
|--|------------------------------------|
| 1 De nomine Officij & Horarum<br><i>Canonicarum.</i>   | 2 De mutatione Officij diuini.     |
| 2 De origine Officij diuini.                           | 3 De intentione diuini Officij.    |
| 3 De partibus diuini Officij, & Ho-<br>rarum numero.   | 4 De attentione diuini Officij.    |
| 4 De obligatione Officij diuini.                       | 5 De prolatione diuini Officij.    |
| 5 De defectibus in Officio diuino con-<br>tingentibus. | 6 De tempore Officij diuini.       |
| Tit. i. De omissione diuini Officij.                   | 7 De loco diuini Officij.          |
|  | 8 De ordine diuini Officij.        |
|  | 9 De interruptione diuini Officij. |
|  | 6 De pœnis circa diuinum Officium. |

#### De nomine Officij & Horarum   *Canonicarum.* CAP. I.

**O**fficium est quasi efficium, secundum Hieron. in lib. de Officijs; vnicuique enim conuenit sibi efficiere officium: vel,

secundum Isidorum, vt quisque illa agat, qua nulli officiant; vel, secundum eundem, est proprius, congruus actus cuiusque personæ secundum mores ciuitatis, vel institutæ professionis. Diuinum dicitur, quia est proprius actus eorum qui Deo sunt dicati.

A            2 Hora  
A            2 Hora



2 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. I. Cap. II. & III.

2 *Hora* dicta sunt, vel ab orando: nam hora idem videtur esse ac, ora, cum aspiratione, Deum. vel melius: quia definitis horis ex instituto Ecclesiae recitantur, *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 1. quest. 1.*

3 *Canonica* appellantur, id est Regulares, quia iuxta regulam Ecclesiasticam. Alij dixerunt, quia Canonico- rum Choro addictorum sunt preces, *Azor. vbi supra.* Alij, quia Canonicum & Ecclesiasticum sunt idem, quod probat *Steph. Duran. lib. 3. de Ritibus cap. 1.*

4 *Hora Canonica* dicebantur *Cursus* à *S. Germano Parisiensi Episcopo*, vt in eiusdem *Vita cap. 64. & 79.* scribit *Fortunatus Pictauiorum Episcopus*, contemporaneus eiusdem, apud *Sur. Tom. 3.*

De origine Officij diuini.

C A P. I I.

1 **A** Postoli ab Hebraeis accepere horas orandi: & hora Tertia erant orantes in Pentecoste, *Act. 1.* Hora Sexta Petrus orabat, *Act. 10.* Ad horam Nonam ascenderunt in Templum Petrus & Ioannes, *Act. 3.* Media nocte orabant Paulus & Silas, *Act. 16.* quare easdem horas praescribere fidelibus, ex *Clem. lib. 8. Constit. cap. 40.* Non ergo Pelagius I. vt ait *Manrolycus in Martyrolog. 27. Augusti*, neque Pelagius II. vt voluit *Polydor. Virgil. lib. 6. de Inuent. rerum cap. 2.* neque Damasus, ex *Pontificali cap. 39. in eius Vita*, dicendi sunt auctores, sed ij vel formulas Officij Decretis firmauerunt, vel ritus amplificauerunt.

2 Certè *Gelasius I.* & duo *Gregorij*, I. & VII. formulæ Officij, qua

nunc vtimur, dicuntur Constitutores & Reformatores à *Pio V. in Bulla sua initio Breuiarij edita*, & non alij.

3 Praeterea certum est, non eodem tempore Horas omnes institutas fuisse. Nam Primam & Completorium vltimò fuisse additas, docet *Radolphus Tungrensis Prop. 14.* & nos dicemus, cum de singulis Horis agemus, *Sectione quarta.*

De partibus diuini Officij,  
& Horarum numero.

C A P. I I I.

1 **S**eptem horæ sunt, & octo, de quibus fortè mandatum accipis, vt des illis partem, *Ecc. 11.* Communior est opinio, septem esse, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. ita in *Concil. Cabilon. II. can. 59.* iuxta illud *Psal. 118.* Septies in die laudem dixi tibi. *fuse Azor. cap. 1. quest. 2.*

2 Qui volunt esse octo, diuidunt Laudes à Matutino, & deducunt ab *Esdra lib. 2. cap. 9.* Qui quater in nocte & quater in die iussit laudari Deum. *lege Nanarr. de Orat. cap. 3.*

3 Romæ nullum fuit interstitium inter Matutinum & Laudes, vt testatur *Amalar. in Prolog. de Ord. Antiphonarij.*

4 Ordo Horarum patet ex *Concil. Cabilon.* quamuis *Rabanus lib. 1. de Institut. Cler. cap. 3.* easdem numeret, incipiens à Laudibus, quas vocat Matutinas preces, & eas terminet in nocturnas Vigilias: sed hæc certè, hoc ordine posito, spectarent potius ad sequentem quam ad præcedentem diem.

5 Non caret mysteriis hic numerus



rus Horarum septenarius: & Primò respectu creationis, vt agamus Deo gratias pro rebus creatis in septem diebus. *ita Cassian. de Instit. Mon. lib. 3. cap. 3.* Secundò, Redemptionis nostre mysteria his Horis operata fuere: nam media nocte natus est Christus, & resurrexit. Hora prima ductus ad Pilatum. Tertia linguis Iudeorum in cruce actus, flagellis caesus, spinis coronatus. Sexta verò cruci affixus. Nona expirauit, & ad inferos descendit. Vespertina de cruce depositus est; eadem hora cœnauit, pedes lauit, Eucharistiam confecit. Hora Completorij orauit in orto. Tertiò respectu nostri, Septies in die cadit iustus, *Proverb. 24.* & nos septies orando resurgimus. Quartò, numerus vniuersitatis est septenarius, *ex sancto Gregorio Papa,* & in multis à sanctis Patribus commendatur. Quintò, septem assumit demon nequiores spiritus contra nos, quæ ratio est *Mich. Timothei in Spec. ordinand. 3. Par. Tract. 6. cap. 4.* vbi & addit sextam causam, ad septiformem sancti Spiritus gratiam obtinendam. Denique septem fuere partes Orationis Dominicæ à Christo traditæ.

6 Adhuc in vnaquaque hora septem vel octo particulæ numerantur à *Rupert. lib. 1. de Diuinis Offic. cap. 6.* hoc est, Deus in adiutorium, Hymnus, Psalmi, Antiphona, Capitulum, Responsorium breue, Oratio completa: in Laudibus autem, Vesperis, & Completorio, adduntur Cantica Evangelica; quia, *inquit Rupert.* canuntur pro Octaua, & spectant ad beatitudinem. de quibus & nos dicemus infra *Sectione quarta.*

## De obligatione Officij diuini.

## CAP. IV.

**N**on esse Iuris diuini Officium diuinum, sed tantum Iuris esse Canonici, communior est opinio. Vide *Azor. cap. 1. quest. vltima.*

2 Illud autem hodie est legitimum Officium diuinum, quod Pij V. iussu est editum, Clementis VIII. & Urbani VIII. auctoritate recognitum: & ad hoc tenentur, quicumque tenentur recitare Canonicas Horas, exceptis ijs, qui ante ducentos annos alia vsi sunt Officij diuini formula, Hæc in *Bulla Pij V.* plura inferius, vbi de Breuiario Romano, *Sect. 2. cap. 2.*

3 Tenentur autem ad Horas Canonicas recitandas primò Beneficiati, qui titulum habent Ecclesiastici beneficii, siue sit beneficium tenue, & est communior opinio, *Nauar. de Orat. cap. 7. num. 27.* siue sit præstimonium, *idem cap. 21. num. 9.* & Pius V. in *Bulla;* siue sit commendatum, *Nauar. cap. 20. num. 16.* siue sit manuale, vel amouibile, *Azor. cap. 4. quest. 2.* siue iniuste collatum, *Nauar. in Miscell. 15. de Orat. ad finem.* siue nondum percipiuntur fructus, cum spe tamen percipiendi, *idem cap. 7. num. 30.* siue fructus sint reseruati alteri, *Azor. cap. 4. quest. 5.* siue numquam sint percipiendi de consensu, vel ob culpam beneficiarij, *Azor. ibidem.* siue titulum tantum habeant cum suffragio in Capitulo, *idem ibidem.*

4 Non tenetur Coadiutor vt Coadiutor, *Nauar. cap. 20. num. 17.* neque Pensionarius, *idem cap. 7. num. 25.*

5 Porro incipit in prædictis obligatio à die possessionis adeptæ (quam debent procurare citius, ne cum culpa



differatur) ex consuetudine Romanæ Curie, testante *Paris. lib. 1. de Resign. benef. quest. 9. num. 15.* imò ab hora, quæ respondet horæ in qua possessio capta est, *Bonacin. loco mox citando pun. 4. num. 10.*

6 Qui plura habet beneficia, ad vnum Officium recitandum est tantummodò obligatus, *Palud. 4. dist. 25. q. 5. quem sequuntur alij apud Bonac. disp. de Hor. Canonic. 1. quest. 2. pun. 4. num. 27.* qui addit *num. 28.* eum, qui duo habet beneficia, alterum iustè, iniustè alterum, teneri ad recitanda duo Officia. vide ibi optimam causam.

7 Initiati sacris Ordinibus tenentur ad Horas Canonicas ex præcepto S. Gregorij Papæ, vt docet *Cornel. Schulingius Tom. 1. Biblioth. Eccles. par. 1. cap. 24.* vbi citat in hanc historiam de S. Gregorij præcepto *Hermanum Gigantem* in Flore temporum. Præcipitur iisdem in *Concil. Basiliensi cap. Qualiter.* at ex sola consuetudine eos obligari vult *Nauarr. cap. 7. num. 2.*

8 Si censuris innodati sint, adhuc tenentur, *Siluest. Hora. quest. 3.*

9 Incipit autè eorum obligatio statim ac ordinati sunt Subdiaconi, scilicet ad eam Horam quæ in Choro tunc temporis dicenda esset, *Azor. lib. 10. cap. 13. quest. 17.* quòd si anticipent, recitando Horas antequam initientur, adhuc iterùm debent eandem recitare, *Bonac. loco citato par. 5. num. 11.*

10 Regulares quoque professi, tam mares quàm feminae, Choro addiçi tenentur ad Horas Canonicas recitandas, *Nauarr. cap. 7. num. 21.* ex consuetudine vbique recepta, ait *Caiet. v. Hora.* si verò eijciantur per sententiam, aut ad tritremes compellantur, non tenentur, *Sot. lib. 10. de Iust. q. 5. artic. 3. quem sequitur Bonac. disp. 1.*

*quest. 2. punc. 2. num. 3.* nisi sint in Ordine sacro, *ibidem.* Volunt autem eiusmodi reos teneri, *Nauarr. cap. 7. num. 20. Azor. cap. 6. quest. 7. & alij* quibus consentio.

11 Incipit in his obligatio ab hora qua professionem votorum solemnem emiserunt; vt in similibus dictum est supra *num. 5. & 9.*

De defectibus in Officio diuino contingentibus.

CAP. V.

1 **R**euocari possunt defectus omnes in hac materia ad nouè Titulos, nempe omissionem, mutationem, intentionem, attentionem, prolationem, tempus, locum, ordinem Horarum, & interruptionem, de quibus hoc loco breuissimè, & quasi per Aphorismos. Fusiùs ad hæc simulos addit, hoc est rationes & argumenta, ad perfectum Hymnodicium, *Anacletus Siccus, nostra Congregationis, in libro edito de Ecclesiastica Hymnodia, cantantibus in choro valde utili, & propè necessario.*

De omissione. TIT. I.

2 **Q**uotidiana recitandi Officij diuina obligatio cæpit anno Domini 540. ex *Sigeberto in Chronico.* Quare, qui totum Officium vnius diei omittit, etiam absque contemptu, sine iusta causa, per solam negligentiam, peccat lethaliter, *Nauarr. cap. 7. num. 1.* & est communis. vnamque peccatum est, sed grauius, si vnica voluntate omisit totum, *ibidem num. 6.* at in Subdiacono & Beneficiario simul, est duplex peccatum, ob duas obligationes, Ordinis & Beneficij, quod & in sequentibus nota, *De*  
Hora



floros apud Bonacin. loco citato quest. 5. punc. 1. num. 4. non autem si plura habeat beneficia, vt diximus supra cap. 4. num. 6.

3 Idem dic de eo qui omittit Horam integram, *Nauarr. loco cit. num. 1.*

4 Idem de eo qui omittit Horam partem notabilem, *Nauarr. num. 44.* quam idem ex *S. Antonino* docet esse tertiam horæ partem, *ibidem*. Alij putant medietatem horæ paruæ, apud *Bonac. loco cit. num. 2.* censet *Io. Petrus Monera nostri Ordinis, de Distribut. par. 2. quest. 3. num. 33.* decimam partem esse notabilem. Placet mitior *Lessij & Bonac.* sententia, horam paruam integram tantum esse materiam peccati mortalis, & infra eam esse ita modicam quamcumque partem, vt Ecclesia non credatur ob eam facere velle reos ignis æterni.

5 Qui omittit Officium in primis sex mensibus ab adepta possessione beneficij, licet non amittat fructus, peccat tamen, *Pius V. in Bulla aperiè, Ex proximo Lateranensi.*

6 Excusatur primò ob infirmitatem corporis iudicio Medici, *Nauarr. cap. 21. num. 16.* & si res est adhuc dubia, accedat assensus Superioris, *Sot. lib. 10. de Iustit. quest. 3.* Neque tunc tenetur audire alium recitantem, *Nauarr. cap. 11. num. 6.* quod intellige de impotentia ad totum Officium, vel ad maiorem partem eiusdem; in quibus casibus ad nihil tenetur: si verò potest recitare maiorem partem, vel æqualem, excusatur tantum à minori, vel æquali, quam non potest, *Sanchez in Decal. Tom. 1. lib. 1. cap. 19. num. 2.* Secundò, cæcus excusatur, si cum socio non potest recitare, quem non habet, *Nauarr. num. 13.* quòd si bonam partem in memoria teneat, eam

recitet, *num. 15.* Tertio, infirmus, qui non facillè socium habet, quo cum possit sine sui præiudicio recitare, *num. 19. idem Nauarr.* Quarto, grauis occupatio excusat, quæ omitti nequit neque differri sine aliorum offensione, & ea est ad longum tempus, vt desit tempus ad recitandum, *Nauarr. num. 34.* Quintò, iusta occupatio in Choro, quærendi Psalmos alijs, incensandi, &c. *Sanctus Antonin. par. 1. tit. 9. cap. 12. §. 3. cum Nauarr. cap. 11. num. 36.* Sextò, non excusat autem peregrinatio suscepta legitimè, *Nauarr. num. 33.* neque studium litterarum, etiam si per substitutum seruiatur Ecclesiæ, *idem num. 31.* Septimò, ob carentiam Breuiarij, etiam ex culpa, à qua non excusatur, tamen ab Officio excusatur, *Azor. cap. 13. quest. 16.* An verò à toto, vel à parte excusetur, eadem dicitur quæ supra de infirmo, & cæco. Octauo, ignorantia regularum Officij excusat, licet peccet, qui suscipit Ordinem vel beneficium cum hac ignorantia, *Nauarr. num. 20.* nisi bona fide suscipiat, se statim cum alio recitaturum, *Azor. quest. 18.* Nonò, metus mortis excusat, si ab hostibus Ecclesiæ periculum vitæ immincat, *idem Azor. quest. 19.* Decimò, si absoluitur à Papa, non tenetur recitare, *Nauarr. cap. 11. num. 31.* ab Episcopo non potest absolui, *num. 24.* Potest autem Religiosus vt Religiosus non teneri, ex dispensatione Superioris, vt ex causa studiorum, vel alia iusta; quia potest Superior in legibus Religionis dispensare, *Lessius cum Bonac. disp. 1. quest. 2. punc. 2. num. 9.* Superiorem intellige supremum, ait *Bonac.* Denique tenuitas beneficij non ultra octo ducatos, ex quadam æquitate, Confessarij prudentis



dentis arbitrio, excusare potest à quotidiana Officij recitatione, dummodò diebus Festis recitetur, *Homobon. noster trac. 4. cap. 5. quest. 33.* quod & concedunt alij *apud Molfesij trac. 5. de Hor. Can. cap. 3. num. 26.* quando non excedit sexdecim ducatos.

*De mutatione Officij diuini.*

TIT. II.

1 **S**acra Rituum Congregatio respondit, non esse relinquendum Officium debitum pro alio Officio deuotionis, die 29. Nouemb. 1603.

2 Episcopus Regularis debet Officium recitare iuxta ritum suæ Diocesis, non Regulæ; & occurrente Festo Regulæ in Festo Diocesis, hoc præferri debet. ita censuit sacra Rituum Congregatio 11. Iunij 1605.

3 Cappellani Episcopi, qui cum eo recitant Officium, debent se illi conformare. Eadem Congregatio die eadem.

4 Qui sunt de gremio Ecclesiæ, debent recitare Officium quod in Choro dicitur: & licet extra Ecclesiam vel Diocesim morentur, decet eos recitare Officium proprium Ecclesiæ ipsorum. Eadem Congregatio die 8. Septemb. 1602.

5 Clerici, licet adscripti alicui Ecclesiæ & eiusdem seruitio, non tamen obligati Choro, & quicumque alij Clerici sæculares Regularésve, in ciuitate vel Diocesi commorantes, non tenentur recitare Officia propria Sanctorum illius Diocesis, vel quæ de consuetudine in eadem Ecclesia recitantur in Choro. Eadem sacra Congregatio die qua supra 8. Septemb.

6 Festum Patroni principalis loci tenentur omnes cum Officio de eodem, etiam Regulares, celebrare; non

autem Octauam Regulares, vt censuit sapius eadem sacra Congregatio, & postremò 27. Maij 1628.

7 His casibus exceptis, & alijs, qui habentur apertè in Rubricis, seu Decretis sacra Congregationis, de quibus nos infra suis locis, non licet mutare Officium vnius diei in Breuiario Romano præscriptum in Officium alterius diei; & qui mutat, præcepto non satisfacit, *Doctores apud Bonac. questione 3. puncto 1. num. 17. & sicut probat Hier. Onuphrius in aureo hac de re opusculo Bononia edito.* tum quia Pius V. in Bulla non modò præcipit substantiam, sed etiam modum & formam Horarum Canonicarum; tum quia motus ille fuit, grauissimè ferens varietatem orandi. Et *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 23. num. 12. & 14.* improbat mutationem, vt si fiat sine causa rationabili, improbabilem eam esse mutationem prorsus existimet. Addit *Bonacin. num. 19.* neque Episcopus posse hanc præscribere mutationem. quod intellige cum *Suar. loco citato c. 11. num. 6. & cap. 23. num. 17.* si ab Episcopo id fiat ex lege, aut qui permanenter, quod ait ad Papam spectare. Quòd si mutatio fiat etiam ex inaduertentia, debent omissa suppleri, *Tolet. in Summ. lib. 2. cap. 13. num. 6. & Bonac. num. 18. loco citato.* quare in hac re non audiendus *Siluest. v. Hora. quest. 12.* qui ante Pium V. vixit, neque *Nauarr.* qui cap. 19. num. 217. ante Pium scribens permisit, si rorò mutatio fiat.

8 Sed neque fieri potest mutatio ritus, vt scilicet duplici ritu celebretur Festum, quod aliàs simplici ritu vel semiduplici decretum est, *Doctores qui supra.* Et sacra quidem Congregatio Rituum die 3. Nouemb.



bris 1602. decreuit, quòd de Sancto, cuius insignis Reliquia habetur, fieri potest Officium duplex minus in eius Festo, dummodò sit Reliquia approbata; ea prorsus regula, qua Gregorius XIII. die 30. Decemb. 1573. in Bulla, quam affert *Gouen. in Praxi Neapol. cap. 65. in 3. edit. 1616.* concesserat Ecclesijs Hispaniarum Festa Sanctorum naturalium, & quorum Reliquias insignes habent, sub ritu duplici celebrare posse; licet in Breuiario non existerent, vel minori ritu haberentur. Vide infra *Sect. 3. cap. 3. num. 5.*

9. Denique eadem sacra Rituum Congregatio Decreto edito die 8. Aprilis 1628. Rubricis Breuiarij nunc addito, & approbato à sanctiss. D. N. Urbano VIII. censuit, & re maturè discussa decreuit, non potuisse, neque posse locorum Ordinarios, tam sæculares quàm regulares, addere Calendarijs etiam proprijs (quod idem est ac mutare Calendarium Romanum) Sanctorum Officia, nisi ea dumtaxat quæ Breuiarij Romani Rubricis, vel sacra Rituum Congregationis, seu Sedis Apostolicæ licentia conceduntur; sub pœna, quòd non fiat satis obligationi recitandi diuini Officij, & consequenter non faciendi à Clero fructus suos beneficiorum.

10. Et multò minùs adhiberi possunt Officia Festorum alia à sacra Rituum Congregatione non approbata, quæ in prædicto Decreto eadem merito reiecit, & damnauit, & pro reiectis & damnatis haberi voluit, & præcepit, sub pœnis contentis in Indice librorum prohibitorum ex Decreto Concilij Tridentini edito, & impresso; hoc est, vt, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur ille qui

prædictis vitur, iudicio Episcoporum seuere puniatur; quod expressè habetur in *Regula 10. in fine, & in Bulla Pij IV. 24. Martij 1564. pro eodem Indice data.*

11. Neque item potest Episcopus extendere Officium, quod fieri solet in ciuitate, ad suam Dioccesim, contra Decretum hac de re à S. Rituum Congregatione die 16. Ianuarij 1607. & consequenter multò minùs Officiù, sed Lectiones approbatas pro vna Ecclesia, illud, vel illas extendere ad alias Ecclesias, sui que Cleri vsus. Habes hoc idem in Decretis S. Congregationis Rituum in Breuiario appositis.

12. Atque in prædictis num. 8. & 9. strictim est accipiendum nomen *Sancti*, hoc est canonizati ab Ecclesia, seu per immemorable tempus habiti pro Sancto, cui tantùm publicus & vniuersalis conceditur cultus à *Glossa in cap. vnic. de Reliq. & vener. SS. in 6. §. Sedis Apost. ver. Dicimus.* quam sequitur *Cassianus in Catal. glor. mundi par. 3. consid. 46. §. Aduerte.* etenim Sedes Apostolica quo ad locum, tempus, ritum in Beatorum cultu limitatè procedit; veluti nuper de beato Rocho nondum canonizato concessit Officium & Missam in Ecclesijs tantùm eius nomine dicatis, & in Eremitarijs eiusdem habentibus requisita Ecclesiarum, per sacra Rituum Congregationem die 26. Novembris 1629. quod idèd monui, quia, licet in Martyrologio recensentur, non tamen in rigore appellantur Sancti: & ibidem multi dicuntur Beati, qui nondum fuere canonizati. Illud enim verum est, quòd quilibet Sanctus dicitur Beatus; non è contra, Beatus dici potest Sanctus, nisi improprie, & abusiue.

De

De



## De intentione Officij diuini.

## TIT. III.

1 Sufficit intentio implicita orandi Deum, *Nauarr. cap. 13. num. 15.* & habetur in sola Breuiarij acceptione, vt recitetur Officium.

2 Qui recitat principaliter ob lucrum distributionum, seu fructuum, siue sit intentio actualis siue virtualis, peccat, *Nauarr. de Orat. c. 6. num. 15.*

3 Ille itē Religiosus peccat, qui principaliter recitat ob timorem pœnarum à Superiore irrogandarum, vel alios fines minùs bonos, *Nauarr. ibid. nu. 19.*

## De attentione Officij diuini.

## TIT. IV.

1 Qui non attendit ad verba, vel ad sensum verborum, vel ad finem in oratione propositum, peccat; & duæ primæ attentiones singillatim sufficiunt, *S. Thom. 2. 2. quæst. 83. art. 13.* neque meliorem tenetur quærere, ait *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 4. num. 9.*

2 Qui recitat sine attentione actuali, vel virtuali, peccat mortaliter; nec habitualis sufficit, quæ absque vllò voluntatis actu non rarò contingit, *Azor. cap. 12. quæst. 1.*

3 Qui voluntariè distractus, alia faciens quæ attentionem impediunt, scribendo, pingendo, & similia faciendo, peccat, *Azor. quæst. 3. ex cap. Dolentis.* vbi præcipitur attentio interior & exterior, non tamen tenetur repetere; quia, licet malè, soluit tamen debitum, *Cordub. in suis Quæst. lib. 4. q. 13. ad fin.* putat *Azor. oppositum esse verius quæst. 6.* & addit *Nauarr. cap. 20. num. 32.* teneri, ac si non recitasset, ad restitutionem fructuum; quod nobis magis placet.

4 Qui recitat dum vestes induit, exiit, faciem lauat, &c. peccat venialiter, *Nauarr. num. 32.*

5 Qui attentè quidem recitat, sed in animo habet non satisfacere præcepto, tenetur repetere, *Nauarr. cap. 16. num. 74.*

6 Qui tantùm legit preces Horarias, & non orat, minimè satisfacit, *Nauarr. cap. 13. num. 15.*

7 Qui recitat Officium, & simul audit Missam, satisfacit; peccat tamen venialiter, ex *Calet. in Opus. Tom. 2. tract. 4. Negat Nauarr. cap. 16. num. 71.* si iusta sit causa. At concordant omnes, nullum esse peccatum, si recitat quando Sacerdos Missa lecreta dicit.

8 Qui recitat eum alijs, satis est, si attentè audiatur verba plurimum, non singulorum, ac si ab vno tantùm diceretur, *Azor. cap. 7. quæst. 7.*

## De prolatione Officij diuini.

## TIT. V.

1 Qui recitat solus, satis est, si verba ita proferat, vt se ipsum percipiat, & intelligat; neque sufficit, si in gutture tantùm pronuntiet, sed linguam & labia verè moueat, *Nauarr. cap. 20. num. 14.*

2 Qui verba diminuit & detrahit, syncopat & transcurrit (nisi vno linguae, vel consuetudine quadam quasi ingenita fiat) peccat saltem venialiter; nec tenetur repetere, *Azor. cap. 7. quæst. 11.* & putat verius, & probat fufius.

3 Qui recitat eum socio satisfacit, siue ille sit obligatus ad Officium, siue non; & satis est, si attendat ad Antiphonas, Capitula, & Orationes, quæ locutur solus dicit, *Nauarr. cap. 10. num. 16.* idem dic de Lectionibus, *Azor. cap. 7. quæst.*



De defectibus in Officio diuino contingentibus. 9

quest. 9. In Psalmis autem & Hymnis recitandis, caue, ne si plures focij sint, alio modo dicantur quàm alternis versibus, ad modum duarum partium Chori, ex vsu communi Ecclesiæ; alioquin non fit satis, ait *Suar. lib. 4. cap. 25. num. 3.*

4 Qui in Choro destinatus ad cantum non cantat, non satisfacit, *Nauar. Miscell. 79. de Orat. cap. 10. nu. 47. ex Trident. Sess. 24. cap. 12. vbi de Canonicis loquitur.* Consuetudo contraria in Canonicis, qui per alios cantant, vbi moribus gentium sit recepta, siue continuata post Bullam Pij V. potest excusare à cantu, *Azor. c. 11. quest. 6.* Videantamen Episcopi, ne sit abusus, & dum per organum sonatur versus, dicatur hic ab aliquo, vt ab astantibus audiatur, *Suar. Tom. 2. lib. 4. cap. 8. num. 7.*

5 Ad exactam prolationis formam, & præsertim in Choro, valde iuuat cognitio verborum Grammaticalis, quænam corripienda sint, aut producenda. Et quia rudioribus etiam sum ego debitor, addidi ad calcem huius Operis eorum verborum notulam quæ in Breuiario Romano sparsim habentur; & in quibus plurimi hæere possunt, & solent: licet in Breuiario ipso nuper edito suis locis eadem iam adnotauerimus.

De tempore Officij diuini.

TIT. VI.

1 **D**ocet *Francol. de hac re suffisime, & par. 1. cap. 10.* præcisum tempus cuiusque Horæ recitanda debitum, esse intra spatium Horæ diei sibi respondentis, non extra illud; & *cap. 21.* Primam in prima diei hora, Tertiam in tertia, Sextam in sexta, Nonam in nona, Vesperas in

vndecima, Completorium in duodecima recitandas esse, Matutinum autem post mediam noctem, auroram versus; sumiturque ille horas eum latitudine.

2 A media nocte antecedentis diei incipit tempus recitandi Officij, & perseverat vsque ad mediam noctem sequentis inclusiue. Est communis *apud Bonac. disp. 1. quest. 3. pun. 3. num. 2.* ita vt ultra mediam noctem sequentis diei Officium præcedentis non valeat, *Nauar. cap. 3. num. 54.*

3 Qui variat intra dictum tempus notabiliter horam à sacris Canonibus præscriptam, peccat venialiter, *Bonac. loco citato num. 4.* nisi iusta causa excuset; quæ est maior deuotio, vel periculum probabile futuræ occupationis, *idem num. 5.* quare nec tenetur repetere, *num. 6.*

4 Consuetudini in hac re standum est potius quàm Iuri scripto, *Azor. quest. 8. in 2. obiect.*

5 Satius est etiam antepone quàm postponere, *Azor. cum communi cap. 9. quest. 3.*

6 Matutinum & Laudes ex iusta causa possunt recitari in Vesperis præcedentis diei, puta, vt deuotius oret, vel studijs manè operam det, vel quia non poterit manè ita commodè recitare, *S. Thom. quodlib. 5. artic. 28. & communis.* & post Completorium satis est expectare tertiam vel quartam horam post meridiem, *S. Thom. ibid. & alij apud Bonac. loco cit. num. 16.* non ante horam vigesimam, *num. 17.* *Azor. autem docet cap. 9. quest. 5.* non ante vigesimam primam æstate, nec hieme ante vigesimam secundam.

7 Prima ante solis ortum, vel paulò post, Tertia aliquantulum post ortum, Sexta paulò post, Nona prope

B pran-



prandium, Vesperæ & Completorium post prandium, *Tolet. lib. 2. cap. 23.* Sed excusatur ab omni peccato ille qui recitat Primam cum Tertia, Sexta, & Nona simul, duabus vel tribus horis post Solis ortum, *Bonacin. loco citato num. 9.*

8 Qui verò differt Matutinum sine causa ad Vesperas, vel anticipat Completorium ante prandium, nimis notabiliter variat tempus, & peccat venialiter, *Bonac. ibidem.*

9 In Choro statæ horæ sunt obseruandæ magis quàm in priuata recitatione, *Navar. cap. 3. num. 63. & alij cum Bonac. num. 7.* qui tamen cum Caietano, secluso scandalo, censet, non peccare mortaliter eos qui extra statas horas in Choro recitant; & *ibidem* addit, posse, ob Processionem, vel Concionem, mutari horam. Si quod est peccatum, imputatur Superiori potius quàm Canonicis, paratis tamen ad obediendum.

*De loco diuini Officij. Tit. VII.*

1 **V** Bique recitari potest priuatè, *Azor. lib. 10. cap. 11. quest. 8.* modò nò impediatur attentio, *Navar. cap. 21. num. 32. & locus sit decens, ex Mofes. Tract. 5. cap. 2. num. 80.*

2 In Choro verò tenentur recitare, qui Choro sunt addicti ex iusticia, iuxta institutionem beneficiorum & consuetudinem locorum, nisi aliud cogat necessitas, vt hiemis tempore in Sacristia, vel adsit consuetudo legitima, vel priuilegium Papæ, vel Fundatoris institutio, *Bellarmin. in lib. de Bon. oper. cap. 18. ver. Locus. & Doctores communiter.*

3 Vnde Canonici, qui, vltra tres menses à Tridentino permisso, notabiliter, hoc est, pluribus diebus, vltra

quatuor, à Choro absunt, per se loquendo mortaliter peccant, vt fusiùs *Bonac. disp. 2. quest. 1. par. 2. num. 1.* Neque possunt alios sibi substituere, *ibidem pun. 4. num. 1.* nisi consuetudo legitima vel priuilegium adsit, vt *Moneta noster de Distrib. par. 2. q. 14. num. 20. & 42.* Au teneantur adesse in habitu Canonicali, vide *Monetam ibidem quest. 19. ad finem.*

4 Fieri etiam potest, vt, consuetudine immemorabili, vel sufficienter præscripta, Canonici, quorum fructus sunt tenues, non teneantur quotidie ad Chorum, *Bonac. disp. 1. quest. 2. punc. 5. num. 14.*

5 Episcopi per se loquendo non sunt addicti Choro, *Bonacin. ibidem num. 9.*

6 Parochi de Iure antiquo tenebantur, nunc minimè, ad publicam recitationem Officij in Ecclesia, & hoc de consuetudine ferè vniuersali & communiter recepta, exceptis Vespertis in diebus Festis, ex *Suar. & Bonacin. loco supra citato num. 12.*

7 Multò minùs Cappellani tenentur ad Chorum, quibus ex fundatione non incumbit hæc cura, *Bonac. num. 13.*

8 Regulares addicti Choro non tenentur ad Chorum, nisi ex vi Regulæ, & ideo non sub peccato mortali, *Caiet. v. Hora Can. & Bonacin. loco citato quest. 2. pun. 2. num. 8.*

*De ordine diuini Officij. Tit. VIII.*

1 **Q** Vi sine iusta causa peruertit ordinem Horarum, peccat venialiter. Iusta verò causa est, obliuio, inaduertentia, vt Chorus inuictur, vel alius, ad dicendum Officium, *Azor. cap. 10. quest. 1. ex Navar. cap. 3. num. 65.*

2 Peruersio eiusdem *Horæ*, secluso



contemptu & scandalo, ex iusta causa excusari potest ab omni peccato, *Bonacin. disp. 1. quest. 3. punct. 4. num. 5.*

3 Grauior autem erit culpa, si in Choro peruertatur ordo, *Suar. lib. 4. cap. 11. num. 10. & aly, qui putant esse ex suo genere culpam lethalem; negat Bonac. ibidem num. 5.*

*De interruptione diuini Officij.*

TIT. IX.

1 **Q**ui diuidit Matutinum à Laudibus, nocte tota interposita, non peccat, *Doctores apud Bonac. disp. 1. quest. 3. pun. 3. num. 11. Azor. vult esse veniale sine causa, cap. 8. quest. 4.*

2 Qui diuidit Nocturnum à Nocturno per horam vnam pluresve cum iusta causa, non ultra tres horas, non peccat, *Doctores apud Bonac. num. 13. contra Azorium loco citato.*

3 Qui diuidit Horam paruam vel Psalmum ex causa, non peccat, *Azor. quest. 5.*

4 Interruptio ad longum temporis spatium probabilius obligat ad repetitionem, *Nauarr. cap. 16. num. 75. ad breue tempus, etiam ad iocum vanosque sermones, non obligat, Nauarr. num. 75. & cap. 10. num. 42. & cap. 16. num. 66. At in vtroque casu non esse repetendum, docet cum alijs Bonac. sup. pun. 2. §. 1. num. 28. Peccari saltem venialiter, sine iusta causa, est dicendum, num. 30.*

5 Qui interrumpit animo continuandi, vt aliud agat, non tenetur repetere; imò nec ille, qui animo repetendi, & postea non repetit, *communiter Doctores apud Bonac. num. 31. contra Nauarr. & Azor.*

*De penis circa diuinum Officium. CAP. VI.*

1 **B**eneficiarij habentes onus recitandi diuinum Officium, titulo beneficij tenentur etiam ante Iudicis sententiam ad restitutionem fructuum pro rata omissionis Officij, si, elapsis sex mensibus post obtentam beneficij possessionem, Officium culpabiliter non recitauerint, etiamsi alio die pensum prætermisum supplere conentur, nisi fortè pars omissa sit leuis. *Bonac. explicat, & probat singulas huius axiomatis partes, disp. 2. quest. 5. pun. 2. toto.*

2 Rata omissionis & restitutionis est, ex Pij V. Bulla, vt pro toto Officio vnus vel plurium dierum restituatur fructus beneficij, seu beneficiorum, qui illi seu illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: pro Matutino dimidiã partem fructuum, pro ceteris horis simul aliam dimidiã, pro vnaquaqueque hora sextam partem vnus diei restituant.

3 Qui paucos versiculos aut Psalmum omittit, non tenetur quidquam restituere, *Nauarr. cap. 9. & cap. 10. num. 42. & aly apud Bonac. loco cit. num. 11. & eò magis, si tenue sit beneficium: quòd si sæpiùs partem notabilem omittat ex pluribus omissionibus compositam, quibus singulis non respòdet pars notabilis fructuum, nihilominùs tenebitur ad restitutionem, Bonacin. num. 14. contra Monetam nostrum negantem, cuius opinio mitior non est improbabilis, & mihi placet.*

4 Qui recitauit absque attentione, tenetur ad restitutionem, *Nauarr. & aly cum Bonac. ibid. num. 17.*



5 Omittenti diuinum Officiū, ita vt intra quindecim dies illud saltem bis non recitet, imponitur priuationis beneficij pœna, non tamen ipso facto, ex Decreto Concil. Lateran. firmato à Pio V.

6 Atque hæc intelligenda sunt de fructibus respondentibus oneri diuini Officij, de quibus in Bulla Pij V. non autem de ijs fructibus qui respondent oneri Episcopali, Parochiali, Canonicali, præter Officiū diuinum, de quibus vide *Bonac. loco cit. punc. 3. num. 2.* qui reijcit dicentes, onus Clerici quoque esse gestare habitum & coronam, quæ aliqui compensantur immunitate, &c.


7 Tutior tamen est aliorum sententia, *Azory lib. 10. cap. 14. quest. 5. & aliorum apud Bonac. num. 3.* qui nihil distinguunt inter prædicta onera, & absolutè volunt restitui fructus; non tamen eneruant priorem & mitiorem sententiam, quæ in praxi sustineri potest.

8 Facienda verò est restitutio prædicta fabricæ beneficij, vel pauperibus, ex Bulla Pij V. non præcisè fabricæ Ecclesiæ, sed vel domui, vel agro beneficij, & similibus, dummodò sit in utilitatem beneficij, non alterius loci, *Suar. lib. 4. num. 19. & alij.*

9 Quòd si alter locus sit pauperibus destinatus, idem est ac si pauperibus; quod conceditur in Bulla: imò & pro animabus Defunctorum expendi possunt ij fructus, *Nauarr. cap. 25. num. 122.* Denique beneficiarius pauper sibi potest illos applicare, ex *Bonac. loco citato num. 8.* modò aliud non constet ex consuetudine vel statuto particulari, *Suar. loco citato numero 17.*

10 In Choro verò, addicti eidem

amittunt distributiones quando non interfunt, vel præsentés non recitant attentè, confabulando, voluntariè dormiendo, &c. *Bonac. disp. 2. quest. 4. punc. 1. num. 10. & 12.* etiamsi id faciant eo tempore quo Sacerdos Secreta dicit, vel Antiphonæ aut Responsorialia per Mansionarios cantantur, si sit pars notabilis, *idem ibid. contra Monetam nostram*, qui mitiorem in partem inclinat negatiuam in hoc vltimo casu.

11 In percipiendis distributionibus ab absentibus excusare possunt, Primò grauis infirmitas, quæ scilicet de se leuis, sed accessu ad Chorum grauis efficeretur de iudicio Medici. Nec est necessè, vt sit infirmus in loco beneficij, *Moneta noster 2. par. q. 6. num. 7. & 19.* si tamen aliàs interesse consueuerat, *idem quest. 5. num. 21.* Secundò, iusta & rationalis causa seu necessitas corporis, quamdiu durat necessitas, & præcisè consuetudine in contrarium, veluti causa sumendæ medicinæ, conualescentiæ ruri nutriendæ, se nechturis in benemerito, pestis grassantis eo loci cum graui periculo, grauis metus iniuste incussi, inimicitiarum grauium, & sine culpa absentis; si capiatur ab hostibus, si iniuste impeditur à Choro, etiam à Superiore in carcere detentus, &c. *Bonac. hæc singula probat post Monetam loco citato quest. 5. punc. 2. toto, vbi eadem dicit §. 2. de iniuste excommunicato. §. 3. de iniuste suspensio. §. 4. de iniuste interdicto. §. 7. de irregulari vt sic præcisè, & post beneficium factio irregulari.* Tertiò, excusat euidens utilitas suæ Ecclesiæ in eo qui solet aliàs interesse Choro. qua de re fuit *Bonac. & Moneta locis citatis*, quamdiu scilicet durat actio  euidenter propriæ.



propria Ecclesiæ utilitatem bona fide,  
& sine dolo; neque est necessaria licen-  
tia Episcopi, vt probat *Bonac. punc. 3.*  
*num. 22.*

12. Alia causa excusantes afferun-  
tur à *Bonac. ibidem §. 3.* ad tuenda iu-  
ra Capituli seu proprijs beneficij, ad  
habendam lectionem Theologalem

ex officio præbendæ. Item priuile-  
gio Pontificio potest absens lucrati  
distributiones, *punc. 4.* & consuetu-  
dine induci potest, vt absentes lucren-  
tur eisdem.

13. Neque vñquam valet remissio,  
donatio, collusio, de quibus fuscè *Bo-  
nacin. puncto 7.100.* & hæc satis.

## SECTIO SECVNDA.

### De Præludij Breuiarij Romani.



T nihil omittatur eorum quæ in Breuiario con-  
tinentur, diuidam illud in partes seu Sectio-  
nes nouem, nimirum Præludia, Rubricas ge-  
nerales, Horarum proprias leges, Partes Ho-  
rarum singulas, Proprium de Tempore, Proprium San-  
ctorum, Commune Sanctorum, Appendices ad calcem  
Breuiarij, & Cærimonias Horarum Canoniarum. Præ-  
ludia igitur continent Titulum, Bullas Pij V. Clemen-  
tis VIII. & Urbani VIII. Computum Ecclesiasticum,  
& Calendarium.

#### SECTIONIS SECVNDÆ CAPITA QVINQVE.

- |   |                                      |
|---|--------------------------------------|
| 1 De titulo Breuiarij Romani.                     | 3 De Bullis Clem. VIII. & Urb. VIII. |
| 2 De Bulla Pij V. & de vsu Bre-<br>uiarij Romani. | 4 De Computo Ecclesiastico.          |
|   | 5 De Calendario.                     |

#### De titulo Breuiarij Romani.

##### C A P. I.

1 **B**reuiarium vox est satis anti-  
qua in re nostra, quam legi  
apud Micrologum cap. 28. de  
Ecclesiasticis obseru. qui vixit circa an-

num 1080. apud antiquiores nondum  
legi. Radulphus Tungrensis vtitur hac  
voce *Propos. 22.* & habetur in *Concil.  
Coloniensi, Moguntino, Treuerensi, &  
Generali Tridentino.* Orarium vocauere  
quidam, id est precationum librum,  
ex *Cornel. Schult. Tom. 1. cap. 43.*

B 3

2 Signi-